SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id450462447/1
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id450462447/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

DE
HEBRAEORUM
ALTARI SUFFITUS,
DISPUTATIO QVINTA,
qvam Eruditorum judicio exponunt

PRÆSES

M. DAV. GERTMANN,

Hamburgenſis,

&

RESPONDENS

JO. GVILIELMUS JANUS,

Auenſis Miſnicus,

A. D. XXV. SEPTEMBR. M DCC.

In Auditorio Minori,

hor. matut.

VITEMBERGAE,
Prelo CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typogr.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id450462447/3 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

DE

HEBRAEORUM ALTARIBUS SUPERIBUS,

DISSERTATIO QUINTA,

QUAM PRAESIDE

M. IOAN. GEORGIO,

Hamburgensis,

ET

IOH. GUILIELMUS JANUS,

Mindensis Westphalus,

A. D. XXV. SEPTEMBR. H. LOCC.

In Auditorio Minori,

Hor. matut.

TYPIS CHRISTIANI KRESSII, Acad. Typogr.

§. 15.

Jubet jam ordo ut ad altaris usum accingamur declarandum, eum qvidem, qvem qvotidiè ei assignatum fuisse legimus. Erat hic hujusmodi, ut suffimentum in eo offerretur aliqvod, præter id vero res nulla alia, neqve suffimentum qvodcunqve, sed id solum, qvod ex peculiari præscripto ei destinatum erat, Vid. *Exod.* 30. Nam qvando illic קט' זרה prohibetur, monet Scriptura, ut docet *R. Bechai Biur al hattora f. 115. Col. 3. ne offeratur in altari hoc* שום דבר לקטרת הסמים לא קטרת יחיד לא קטרת צבור שיביאוה נדבה וכל שכן אחרת או יזהיר שלא יעלו על חמזבח קטרת סמים אחרים כי אם מאותם שיפורט מהן הכתוב ואם עשה כן יקראנה זור: *ulla res in suffimentum aromatum, non suffimentum privati cujusdam, neqve suffimentum Ecclesiæ, qvod spontaneo motu attulerint, multo minus aliud. Aut monet Scriptura, ne offerant in altari aliorum aromatum suffimentum, præter illa, qvæ speciatim definivit. Si autem nihilominus ita qvis fecerit, ejus suffimentum dicitur peregrinum.*

Hinc *Maim. Cele hamnikdasch cap. 2. §. 11.* מזבח הזהב שבהיכל עליו מקטירין הקטרת בכל יום ואין מקריבים עליו דבר אחר ואם הקטיר עליו קטרת אחרת שאינה כזו או שהקטיר כזו שהתנדב יחיד או רבים או הקריב עליו קרבן או הסיך נסך לוקה שנאמר לא תעלו עליו קטרת זרה עולה ומנח' וכו' *Super altare aurum Templi qvotidie suffimentum adolebant, non vero rem super illud offerebant aliam. Qvodsi qvis suffimentum super illud adoleret aliud, qvod non esset sicut hoc, aut, licet esset qvale hoc est, sponte tamen oblatum fuisset ab uno vel multis, aut siqvis offerret super illud oblationem, aut libaret libamen, is vapulabat, qvoniam dicitur, ne offeratis in illo suffimentum peregrinum, holocaustum, aut*

munus, *&c.* Hoc ipſum ſuffimentum ex qvibus conſtare debuerit, explicat idem *Maimon. l. c. §. 1. ſeq.*

הקטורת נעשית בכל שנה ושנה ועשויתו מצות עשה שנאמר ואתה קח לך סמים וגומ׳ ונתפרשו בתורה ארבעה מסממניה והן נטף ושחלת וחלבנה ולבונה ושאר סממניה הלכה למושה מסיני אחד עשר סממנים נאמרו לן למושה מסיני והם שעושין אותם במשקל מכוון ומוסיפין עמהן בלא משקל מלח סדומית וכפת הירדן עשב אחר שמעלה עשן ולא היו יודעים אותו אלא אנשים ירועים והוא הלכה ביודם איש מפי איש וזהו משקל אחד עשר סמניה נטף ושחלת וחלבנה ולבונה מכל אחד משקל שבעים מנה והמנה מאה דינרין ומר וקציעה ושבולת נרד וכרכום מכל אחד ששה עשר מנה קנמון תשעה מנים קלופה שלוש מנים משקל הכל שלוש מאות וששים ושמונה מנה שחוקין הכל הדק מוסיפין לה רובע הקב מלח סדומית וכפת חירדן ומעלה עשן כל שהוא ומקטיר ממנה בכל יום על מזבח הזהב מנה שלוש מאות וששים וחמשה מנה כנגד ימות החמה והשלוש מנים הנשארות שוחק אותם ערב יום הכפורים דקה מן הדקה עד שמוציא ממנה מלא חפניו להקטיר ביום הכפורים והשאר הוא מותר הקטרת שאמרנו בשקלים נטף האמור בתורה הוא עצי הקטף שיוציא מהן הצרי והשחלת היא הצפורן שנותנין אותה בני אדם במוגמרות והחלבנה כמו רבש שחור והוא שרף אילנות בערי יון:

Suffimentum conficiebatur ſingulis annis. De qvo conficiendo præceptum qvod extabat, affirmativum erat, qvoniam dicitur: & tu accipe tibi aromata &c. Ac in Lege qvidem expreſſe deſignantur qvatuor illius aromata, Stacte ſcilicet, Onyx, Galbanum & Thus: Cætera aromata ſunt Conſtitutio Moſis e Sinai. Undecim autem ſunt aromata Moſi dicta è Sinai, qua

qvæ ipſa pondere parabant conſtituto, illisqve addebant, non obſervato pondere, Sal Sodomiticum, Ciphat Jordanis (herbam in littore Jordanis naſcentem, juxta *R. ſal. Iſac.*) *ac herbam qvandam qvæ fumum elevabat, qvam non noverant niſi viri qvidam noti, penes qvos fuit hæc conſtitutio, alteri ab altero oretenus communicata. Hoc vero undecim iſtorum aromatum erat pondus. Stactes, Onygis, Galbani & Thuris ſigillatim pondus erat ſeptuaginta minarum. Mina autem centum valebat denarios. Myrrhæ, Caſiæ, Spicæ Nardi & Croci ſigillatim ſedecim erant minæ, Cinamomi novem, Corticis Odorati tres. Pondus adeo omnium, trecentarum ſexaginta & octo minarum erat. His minutim contuſis omnibus addebant qvartam partem Kabbi ſalis Sodomitici, & Ciphath Jordanis & fumum elevantis* (herbæ) *parum. Atqve ex hoc adolebant qvotidie in altari aureo trecentas & ſexaginta qvinqve minas, juxta dies Solis. Tres reliqvæ minæ contundebantur veſpera diei expiationum tenuiſſime; inde ubi plenos pugillos ſuos deſumſiſſet* (ſacerdos ſummus) *ad adolendum die expiationum, qvod relinqvebatur, ſuffimenti erat reſiduum, de qvo diximus in Schekalim. Nataph, cujus mentio fit in lege, erat ex arboribus reſinoſis, qvæ emittunt opobalſamum; Schecheleth erat onyx, qvam alias ſuffimentis adhibere conſveverunt; Galbanum erat inſtar mellis, coloris nigri, idqve gummi qvoddam arborum Græciæ.* Confer. *Gemar. Cerithuth cap. 1. fol. 78. Miſchn. Schekal. cap. 4. fol. 5. col. 2.* & utrobiqve *Scholia R. Sal. Iſac.* Modum porro conficiendi ſuffimenti ſi deſideramus, & illum ex *Maimonidis* doctrina haurire licet. Sic enim pergit ille *l. c. §. 5. ſeq.* כיצד מפטמין

את הקטרת מביא תשעה קבין בורית כרשינה ושף בה
את הצפורן ואחר כך שורה את הצפורן באחד ועשרים
קב של יין קפריסין או יין לבן ישן חזק ביותר ואחר כך
שוחק כל אחד מן הסמנים בפני עצמו הרק וכשהוא
שוחק אומר הרק היטב כל זמן ששוחק ומערב הכל
וכל בקודש בתוך העורה ומשל הקודש המפטם את
הקטרת מן החולין או בכלי של חולין פסולה פעמים
בשנה היו מחזירין אות' למכתשות בימות החמה היו

מפזרים

מפזרום אותה שלא תתעפש ובימות הגשמים צוברין אותה
כדי שלא יפיג ריחה נותן לתוכו רבש כל שהוא פסלה
חסר אחד מסממנית חייב מיתה שהרי נעשית קטורת
זרה פטמה מעט מעט במתכונתה כשרה אפילו פיטם
פרס בשחרית ופרס בין הערבים העושה קטורת מאחד
עשר סממנין אלו לפי משקולות אלו כדי להריח בה
אף על פי שלא הריח חייב כרת על עשייתה אם עשה
מזיד ובשוגג מביא חטאת קבועה אף על פי שלא עשה
המשקל כולו אלא חציו או שלישו הואיל ועשה לפי
משקולת אלו חייב כרת שנאמר במתכונתה לא תעשו
לכם איש אשר יעשה כמוה להריח בה ונכרת מעמיו
עשה להתלמד בה או למוטרה לציבור פטור הריח בה
ולא עשאוה אינה חייב כרת אלא דינו כרין כל הנהנה
מן הקדש לא חייבה תורה כרת אלא לעושה במתכונתה
להריח בה:

Qvomodo conficiebant ſuffimentum? afferebant novem Kabbos Saponis Carſchinæ, in qvo macerabant onychen, illamq; poſtea immittebant in viginti & unum Kabbos vini Kapparini, aut vini albi veteris fortiſſimi. Deinde minutim contundebant ſingula aromata ſigillatim, (præfecto) *dicente contundenti, toto qvo illa contundebat tempore; benc contunde. Atqve hæc tum commiſcebantur omnia. Perficiebantur autem cuncta in Sancto intra atrium, & ex Sancto. Qvodſi ſuffimentum qvis confeciſſet ex propharis, illegitimum illud erat. Bis in anno reducebant illud ad mortarium. Die ſereno ſparſim diſſipabant illud, ne muceſceret; tempore pluvioſo colligebant, ne deficeret odor ejus. Mellis aliqvid, qvantulum id cunqve eſſet, ſi adderetur, illegitimum erat. Si unum deeſſet ex aromatibus ejus, mortis reus erat* (qvi id confecerat) *qvoniam confectum erat ſuffimentum peregrinum. Siqvis conficeret illud paulatim juxta conſtitutam ejus rationem, legitimum erat, etiamſi dimidium ejus confeciſſet mane, & alterum dimidium inter duas veſperas. Qvi confecerat ſuffimentum ex undecim aromatibus ejus ſecundum ponderaiſta, ad ſuffumigandum illo, tametſi non ſuffumigaſſet illo, is exciſionis reus, propterea qvod*

illud

illud confeciſſet, ſi qvidem de induſtria commiſſum hoc. Sin per errorem id contigiſſet, offerebat is ſacrificium pro peccato definitum, licet pondus non feciſſet integrum, ſed tantum dimidium ejus, aut tertiam partem. Cum vero & confeciſſet tale juxta ponderа iſta, reus erat exciſionis, qvoniam dicitur: juxta conſtitutam ipſi rationem non facietis vobis, qvicunqve fecerit juxta illud ad ſuffimigandum illo, is excindetur & populis ſuis. Si feciſſet id propterea, ut illius conficiendi modum addiſceret, aut id traderet Eccleſiæ, liber erat. Si ſuffumigaſſet illo, non vero illud feciſſet, non erat reus exciſionis, ſed cauſa ejus erat ut cujuslibet qvi utilitatem capit ex re ſacra: non illum pronuntiat Lex exciſionis reum, ſed iſtum, qvi fecerit juxta conſtitutam ipſi rationem ad ſuffumigandum illo. Conf. *Ceritbuth l.c.* In conficiendo commemorata ratione ſuffimento excelluiſſe legitur familia *Abhtines in Gemara Joma cap. 3. fol. 38. p. 1. & Gem. Schekalim cap. 5. f. 7. p. 2.* Qvibus in locis præcipue artificium ipſi tribuitur conficiendi ſuffimentum hujusmodi, cujus fumus ſurſum verſus tenderet inſtar baculi; ſed, qvod communicare hanc ſcientiam cum aliis noluerit, ſimul illic arguitur. Et licet evocati Alexandria fuerint artifices, parandi ſuffimenti etiam haud imperiti, ſuffimentum tamen horum ita fumum emiſiſſe dicitur, ut huc illuc depreſſus ille ſtatim fuerit ac diſſipatus. Ut autem ſuffimentum rite conficeretur, curabat unus ex qvindecim illis, qvi Templo erant, ממונין *ſ. Præfectis*, qvorum curæ totidem peculiaria committebantur opera. *Vid. Maim. Cele hammikdaſch cap. 7. §. 1.* ubi decimo tertio loco recenſet iſtum qvi ſuffimento conficiendo præerat. Illos deſcribit in genere *l. c. §. 2.* כל אחד ואחר ממונין אלו תחת ידו אנשים הרבים כדי להכין המלאכה שהוא ממונה עליה: *ſub uniuscujusqve ex illis præfectis poteſtate erant plures, ad dirigendum opus cui is præerat.* De hoc ſpeciatim *l. c. §. 17.* ואחר ממונה על אומני הקטרת והוא מתקן מלאכתה *unus præerat artificibus ſuffimenti, isq; diſponebat opus illius.* Nec locum conficiendo ſuffimento conſtitutum reticent Hebræi. Sic enim, ne alios appellem teſtes, *R. Sal. Iſac. in Midd. fol. 68, 1.* בבית אבטינס שם מפטמין את הקטורת *in domo Abhtines conficiebant ſuffimentum. &c.*

§. 16.

§. 16.

Hac parati arte ſuffimenti, in altari aureo adolendi negotium ſuſcipiebant Sacerdotes, illi qvidem ordinarie, qvos הדיוטים *vulgares ſ. minores* appellabant. Excipiebantur tantum ſeptem proxime ante Expiatioois Feſtum dies, ipſumqve Expiationis Feſtum, qvo tempore ſoli ſacerdoti ſummo, vel in ejus locum ſurrogato, hoc competebat officium. *Vid. Miſchn. Jomæ cap. 1. §. 2. c. 3. §. 4. c. 7. §. 4.* Lex qvidem extat *Exod. 30. 7.* והקטיר עליו אהרן קטרת qvæ ſacerdoti ſummo has ceu ordinarias mandaſſe partes videri poterat; Sed illi interpretationem cum recepta conſvetudine congruam qvæſivit *R. Nachmanides Biur al hattoræ fol. 72. Col. 1.* אין המצוה הזו בכהן גדול בלבד אלא אף בכהנים הדיוטים כדין הדלקת הנרות שבצרה שאמר גם כן ובהעלות את הנרות ואינה בכהן גדול בלבד כמו שאמר למעלה יערוך אותו אהרן ובניו ולא ידעתי למה הזכיר אהרן בשניהם ולא אמר הכהן ואולי מפני שיטת הכתוב למטה וכפר אהרן על קרנותיו ושהוא באהרן בלבד או שירמוז שאהרן התחיל בקטרת ובנרות וכן אמר בסוף אמור אל הכהנים יערוך אותו אהרן ולא הזכיר בניו בעבור שהוא יתחיל: בה *Præceptum hoc non de ſacerdote ſummo tantum intelligendum eſt, ſed etiam de ſacerdotibus vulgaribus, ſicut illud de accenſione lucernarum, qvod ipſi apponitur, dum dicitur pariter; & cum accendet lucernas: qvod autem de Sacerdote ſummo ſolo non loqvitur, qvemadmodum dixerat ſupra; diſponent illum Aharon & filii ejus. Neſcio autem qvare in duobus iſtis* (locis) *Aharonis, & non ſacerdotis utatur voce. Fortaſſe id contigit propter modum loqvendi, qvē* Scriptura *tenet infra,* (qvando dicit;) *& expiabit Aharon ſuper cornua ejus: & qvod illud de ſolo Aharone intelligendum; aut qvod indigitet, Aharonem incipere debere in ſuffitu & lucernis. Et ſic loqvitur in fine* Sectionis, *Dic ad* Sacerdotes: *diſponet illam Aharon, non non facta mentione filiorum ejus, propterea qvod illum initium in hoc operе capere oporteat.* Neqve *Goereeo* Hebræorum explicationem vi-ſum fuit hic negligere l. c. p. 393. hoc modo: *dit leggen de Hebreeen ſoo*

een ſoo uyt (en het heeft eenigſints ſijn goed beſcheed) namelijk dat den Hoogen-prieſter Aaron Zulks dead wanner hy eerſtmaal in het Prieſterdom beveſtigd Wierd; ook eenmaal des Jaars op het Feeſt deer verſoeninge, Wanner hy met het bloed ging in het Heilige der Heiligen. Qvemadmodum ergo, qvin ex Minorum ordine ſacerdotes ordinario altaris ſuffitus deſtinati fuerint miniſterio, nulli dubitamus; ſic de horum definiendo numero diſceptatione, ſi Hebræos conſulimus, non indigebimus. Qvamvis enim ex illorum relatione, *ſuffitum hunc reqvirere duos ſacerdotes, alterum, qvi ſuffimentum templo inferret & adoleret: alterum qvi caperet prunas de altari exteriori, & templo inferret, poneretqve ſuper altari interiori, ut ſuper illis fieret ſuffitus*, velit *Martinus Mauritius, de Sortitione Veterum, Hebræorum inprimis, cap. 24. p. 318.* Gœree autem *l. c. libr. 3. p. 230.* doceat; *By't' dageliike Rook-offer mæſten haær navolgens de leering der Joden, drie Prieſters bevinden*: nos tamen ex ipſis prolatis Hebræorum verbis, qvibus ſingulorum, qvi ſuam altari ſuffitus, ut in eo ſuffimentum rite oblatum fuerit, ordinarie præbuerunt operam, actiones explicant, qvatuor in univerſum concurriſſe, evincemus clariſſime.

§ 17.

Ne vero, dum circa altare ſuffitus occupatos intuebimur ſacerdotes, vel in ſacro illorum habitu, vel in ratione qva munas qvisqve ſuum adeptus ſit, hæreamus, haud alienum erit, anteaqvam in actiones ipſorum miniſteriales defigamus oculos, paucis iſta perſeqvi. Veſtimenta qvidem peculiaria plane ab illis, qvorum alias erat uſus, miniſtraturos in Templo ſacerdotes, non ſummum tantum, ſed & minores, induere ex juſſu divino omnino neceſſe erat. Minorum Sacerdotum Veſtitum, de qvo nunc diſqvirimus, diverſa veſtimentorum ſacerdotalium genera recenſens delineat *Maimonides Cele hammikdaſch cap. 8. §. 1.*

בגדי כהונה שלש מינים בגדי כהן הדיוט ובגדי זהב
ובגדי לבן בגדי כהן הדיוט הם ארבעה כלים כתנת
ומכנסים ומגבעות ואבנט *Veſtimentorum ſacerdotalium tria erant genera, veſtimenta ſacerdotis minoris, veſtimenta aurea & veſtimenta alba. Veſtimenta ſacerdotis minoris qvatuor erant, Tunica, Feminalia, Tiara & Balteus.* Horum qvatuor qvanta in ſingulis, in ipſo miniſterio actu, fuerit neceſſitas, idem *Maim.* aperit *l. c. cap. 11. §. 40.* כהן הדיוט ששמש בפחות מרי בגדים

אלו הוא הנקרא מחוסר בגדים ועבודתו פסולה וחייב
מיתה בידי שמים כזר ששמש שנאמר וחגרת אותם
אבנט והיתה להם כהונה בזמן שבגדיהם עליהם כהונתם
עליהן אין בגדיהם עליהן אין כהונתם אלא הרי הם
כזרים ונאמר והזר הקרב יומת: *Sacerdos minor, qvi minis-*
traſſet paucioribus qvam qvatuor iſtis indutus veſtibus, dicebatur
deſtitutus veſtibus, & miniſterium ejus illegitimum erat, ipſe qve
reus mortis cœlitus infligendæ, inſtar extranei cujusdam qvi ſtra-
verat. Nam dicitur: & cinges eos balteo, & ſic erit in illis
ſacerdotium. Eo tempore qvo veſtimenta illorum ſuper illos, ſa-
cerdotium in illis erat; at cum ea non eſſent ſuper illos, neqve ſacerdo-
tium in illis, ſed omnino illi inſtar extraneorum erant, extraneus autem
accedens morti tradendus. Licebat nihilominus extra miniſterii actum in Templo, præterqvam noctu ſomnum capienti, de qvo Vid. *Tamidh. cap. 1. ibiqve Comment.* ſacerdoti his uti veſtibus, excepto balteo, juxta *Maim. l. c. cap. 8. §. 11.* בגדי כהונה מותר ליהנות בהן לפיכך לובשם ביום עבודתו ואפילו שלא בשעת עבודה חוץ מן האבנט מפני שהוא שעטנז: *Veſtibus Sacerdotalibus licitum erat uti commodi cauſa, propterea indue-*
bat eas (ſacerdos) *die miniſterii ſui, etiam extra miniſterii horam, ex-*
cepto balteo, qvod ille materiæ eſſet heterogeneæ. Qvandoqvidem autem eo, qvo miniſterium aliqvod in Templo ſuſtinebat, die egredi illud no poterat ſacerdos, facile intelligimus, *Maimonidem* veſtium ſacerdotalium uſum extra miniſterii actum concedere, non qvovis in loco, ſed in ſolo Templo. Unde extra Templum in univerſum abſtinendum ab his fuiſſe, ex *Gemaræ traditis in Tamidh. cap. 1. fol. 61. 2.* eluceſcit: תא שמע בגדי כהונה היוצא בהן במדינה אסור ובמקדש בין בשעת עבודה ובין שלא בשעת עבודה מותר מפני שבגדי כהונה ניתנו ליהנות בהן: *Veni, audi: Veſtes ſacerdotales*
exeunti in provinciam ad induendum ſunt prohibitæ, at in Sanctuario,
ſive ipſo miniſterii tempore, ſive extra illud, licitæ ſunt, propterea qvod
veſtes ſacerdotales datæ ſunt ad utilitatem ex illarum uſu capiendam.
Eqvidem *Joh. Seldenum* idem hoc aſſerentem *de Succeſſ. in Pontif. libr. 2. cap. 7.* oppugnaturus *Rob. Scheringhamius in Joma cap. 7. p. 79. ed. 8. per Renferd.* qvod ex allato *Gemaræ* loco pateat, *ſi ex Juris pandectis Hebræorum res ſit decernenda, uſum veſtium ſacerdotalium gregariis ſacerdotibus conceſſum eſſe eo tempore qvo miniſterium altaris non obi-*

obierint, & hoc qvidem non ſolum in ſanctuario, ſed etiam cum e ſanctuario in urbem prodirent, probare allaborat. Verum ipſe *Seldenus de Synedr. Vet. Ebr. lib. 3. cap. 11. §. 3.* hujusqve cauſam ſuſcepturus *Joh. Braunius, de Veſt. Sacerd. Hebr. l. 2. cap. 26. p. 676. ſeq. edit. Amſtel.* à ſenſu *Gemaræ* aberraſſe oſtendunt *Sheringhamium*. Qvod ad veſtium materiam ſpectat, exponitur illa a *Maim. l. c. cap. 8. §. 12.*

אין הכהנים לובשין לעבודה אלא צמר ופשתים בלבד:

Non induebantur ſacerdotes miniſterii cauſa, niſi lana & lino tatum. Et §. 1.

ארבעתן של פשתן לבנים וחוטן כפול ששה והאבנט לבדו רקום בצמר: *Qvatuor illa* (veſtimenta ſacerdotum minorum) *erant ex lino, alba, filoq; conſtabant ſexies duplicato. Solus Balteus acupicto erat lana.* Abſit autem, cum ex albo lino in Gentilium, Ægyptiorum inprimis, ſacerdotibus conſpicimus veſtes, ab illis ſuas accepiſſe Hebræos, cum *Marshamo l. c. p. 219.* & *Spencero l. c. l. 3. Diſſert. 1. cap. 5. p. 53. ſeq.* ut judicemus. Qvorum ſe errori erudite opponit *Joh. van der Waeyen Var. Sacr. p. 505. ſeq.* Eundem in *Pol. Virgilio* damnat *Hornius Hiſtor. Philoſ. libr. 7. cap. 13. p. 380.* Qvid vero credemus *Spencerum* in hanc impuliſſe mentem, ut ſcripſerit *l. c. p. 61. Veteres Hebræi, linum in ſacris uſurpandum, lanam etiam a ſacris ablegandam, ob rationem futilem & prorſus Ægyptiam exiſtimarunt.* Balteus ſane, qvi ex veſtium ſacerdotalium numero haud excludendus eſt, ex lana linoqve mixtis conſtitiſſe in Scriptura dicitur: alias, ſi non de ſolo ſacerdotum minorum veſtitu qvæſtio eſt, nec ſacerdotis ſummi Ephod et Pectorale hic excipi poterunt. An auctoritati ergo adverſabitur *Spencerus* irrefragabili? an vero fugit ipſum, luci qvod expoſitum clariſſimæ eſt? Ægyptii qvidem, *Herodoto* teſte, in ſacerdotibus ſuis lanam averſabantur; ſed Hebræi in balteo ſacerdotali, Deo mandante, illam reqvirebant, haud affectatæ hic cum Ægyptiorum ritibus ſimilitudinis præbentes argumentum. Materiæ, qvam modo attigimus, qvæ formã in qvolibet veſtimento conciliaverint propriam, adjiciendum eſt. Tunicam ita excutit *Maim. l. c. §. 16.*

הכתונות בין של כ"ג בין של כהן הדיוט משבצת היתה
שהיא בתים בתים באריגתו כמו בית הכוסות כדרך
שעושין האורגין כבגדים הקשים ובית יד שלה נארג
בפני עצמו ומחברין אותו עם גוף הכתונת בתפירה
אורך הכתונות עד למעלה מן חעקב ואורך בית יד שלה
עד פס ידו ורוחבו כרוחב יד.

Tunicae tam Sacerdotis ſummi

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id450462447/13 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

mi qvam minoris figuras intextas habebant fundis annulorum similes, plenæ qvippe locis qvibusdam, instar stomachi (animalis ruminantis,) *cujusmodi in vestibus duris textores effigiare solent Manica separatim texebatur, qvam tunicarum corpori futuræ ope conjungebant. Longitudo Tunicarum pertingebat ad superiorem calcis partem. Manicæ longitudo protendebatur ad volam manus; latitudo vero ejus erat secundum latitudinem manus.* Ex qvo *Maimonidis* asserto sententia *Abben Esræ in Exod. 28. 27. Samuelis Lee de Templo Salom. cap. 9. &c.* qvod solius summi Pontificis חשבץ כתונת fuerit, erroris arguitur. Male præterea *Lyra*, eumqve qvi seqvuntur, Hebr. חשבץ de sine rugis arcteqve corpori adhærente tunica interpretantur. Inepte vero *Jekutiel in Versione* Vet. Instrumenti *germanica, edit. Amstel. fol.* כתונת תשבץ reddidit, ein gelöchert Hemmbd. Neqve congruunt notioni vocis *Spenceri* verba l. c. p. 58. *mihi probabile videtur, tunicam sacerdotalem floribus aut figuris aliqvot exornatam.* Figuras admittimus, sed non statim illas florum. Alii haud melius, oculorum imagines retulisse figuras has, existimant. Hanc *R. Saadiæ* explicationem affert *R. Abben Esra in Exod. 28. 39. & R. Ben Melech in Exod. l. c. v. 4.* qvi, dum has dicit fuisse operis acupicti, errorem alio errore cumulat. Eadem de oculorum figuris opinio placuit *Samueli Lee l. c. cap. 4.* qvi, simul ex auro illas fuisse arbitratus, manifesto errat. Rejicienda pariter operis tessellati appellatio est, qvæ arridet *Junio in Exod. l. c. Lightfooto de Ministerio Templi cap. 3. p. 680. Tom. 1. Op. Ed. Rot. fol.* it. *Godvvino de Civil.* & *Eccles. Ritibus Hebr. l. 1. cap. 5. §. 5.* ocellatum & tessellatum pro synonimis habenti. Cujusmodi tunicas sacerdotum æri incisas, & *Leonis Judæ Templo Hieros. adjectas p. 94.* exhibet *Saubertus.* Qvem imitatum in *in Phil. Hebr. mixto Joh. Leusdenium* taxat *Braunius l. c. libr. 1. cap. 17. §. 254. p. 289. Per tessellatam enim,* verba sunt *Braunii, l. c. §. 258. veteres nihil aliud videntur intellexisse auctores, qvam vestes illas qvæ intextas habuerunt figuras qvadratas instar tessellarum pavimentorum: sed ita ut figuræ illæ planæ & æqvales fuerint, nulla apparente profunditate aut eminentia filamentorum in textura, prout & pavimenta tessellata plana & æqvalia esse solent.* Unde qvid ipse statuat haud dissimulaturus *l. c. §. 263. ait :* כתונת תשבץ *ego verterem, tunicam scutulatam, aut tunicam lacuatam, aut etiam tunicam fundis consitam.* Et §. 259. *Sacerdotum tunicas tales fuisse, qvales eas jam jam descripsimus, mihi est persuasissimum: habuisse nempe vias „ & virgas eminentes qvæ totam tunicam transversim & decussatim*

ſatim decurrebant, ita ut depreſſas & cavas aliqvot figuras, ſive qvadratas ſive Πολύγωνας, *intra ſe relinqverent, inſtar lacunaris aut fundæ annuli, qvibus includuntur gemmæ & lapides pretioſi.* Noſtra vero ſententia, qvæ *Maimonidi* accedit, ſi ulterius ſtabilienda eſt, de longa argumentorum ſerie haud erimus ſoliciti, cum attentior vel unius verbi שבץ, qvod etiam *Braunius* pro ſe urget, conſideratio ſatis iſti promittat roboris. Comunior qvidem ei aſſignata à *Buxtorf. Concord. Hebr.* & *Lex. Hebr. Chald.* it. *Caſtello Lex. Heptagl. &c.* ſignificatio eſt, teſſellatum & ocellatum eſſe. Qva licet relicta *Bochartus Hieroz. P. 2. libr. 5. cap. 14.* ſtatuat, שבץ *Hebræis eſſe aurum vel varios colores panno intexere*, neutiqvam tamen cæteris felicius veram ipſe aſſeqvitur. Etenim cum שבץ ita uſurpetur, ut proprie notet fundis ſ. palis includere, de ejusdem ſignificatu vox derivativa cur nõ participare exiſtimanda eſt? Funda autem proprie eſt ſpatium annulorum concavum, gemmis deſtinatum inſerendis. Qvo neſcio an *Rabbinus* ille aliqvo modo reſpexerit, qvem *Pragæ* verbum id *germanice* Kaſteln ſibi interpretatum fuiſſe refert *Forſterus Lexic. p. 819.* Ita qvidem *Judæos germanos ad hunc usqve diem* כתנת תשבץ *vocare* ein gekäſtelter Rock / ſcribit *Braunius l. 1. cap. 17. pag. 294.* cum qvibus tamen *Judæos Amſtelo damenſes*, in Verſione ſua Codicis Hebræi germanica, neutiqvam facere, ſupra vidimus. Certe *R. Sal. Iſac. Exod. 28, 20.* משבצים זהב explicat per מוקפים משבצות זהב Et ad v. 11. 14. notat, משבצות eſſe receptacula lapidum pretioſorum, foſſarum inſtar, qvibus illi infigantur. Unde non tantum v. 39. ושבצת הכתנת idem ipſi ac; fac tunicam plenam fundis: ſed & כתנת תשבץ ipſi dicitur tunica, Miſchbezoth ſ. fundis ornata. Verum ipſius *Maimonidis* præterire non poſſumus lapſum, qvem in allata tunicæ deſcriptione commiſit, dum illam non totam putavit contextam, ſed manicam ſeorſim, qvæ per ſuturam demum reliqvo corpori fuerit annexa, obſervante iſtum *Braunio l. c. l. 1. cap. 4. §. 345. p. 376. Fallitur*, inqvit, *Maimonides, ut qvi male intellexit Gemaram. Non dicunt Gemarici, qvod ſciam, manicas corpori tunicæ acu adſui: ſed tantum qvod ſeorſim texantur. Et hoc qvidem veriſſimum eſt. Corpus enim tunicæ, ſecundum Veterum texturam prius detexitur; ſed ita ut ſtamen pro manicis adhæreat, ideo manicæ poſtea corpori tunicæ qvidem attexuntur, ſed qvaſi ſeorſim. Erravit forſan Maimonides, qvod ſuo tempore modus texendi veterum jam in deſvetudinem abierit: ut crediderit non minus qvam Hieronymus aliiqve multi,*

nulla arte fieri posse, ut tunica undique clausa & manicata, quemadmodum nec feminalia, sola textura absolverentur, absq; acus opere. Hanc certe integræ tunicæ texendæ rationem, a Scriptura illi tributa suadet appellatio, qva מעשה הארג *s. opus textoris* dicitur. His enim vocibus non existimandum erit significari, fila lini texturæ artificio ita fuisse sibi invicem juncta, ut inde linteamentum extiterit confectum, ex qvo deinde qvædam partes dissectæ, eum in modum per acus futuram rursum coaluerint, ut rationem adeptæ fuerint tunicæ congruam. Nam qvid opus esset, tunicæ consuendæ materiam hac ratione coaptandam peculiari mandato præscribere, vel tunicam hujusmodi, tanqvam a cæteris diversum aliqvod elaboratum opus enarrare, cum ex more recepto haud aliter fieri consueverit? Neqve tunica hoc pacto, sed materia potius ex qva tunica fuerit consuta, dicenda fuisset textoris opus. Atqve adeo, qvoniam de tunica simpliciter, non de parte qvadam tunicæ, neqve de ejusdem materia prædicatur מעשה הארג, colligendum erit, medium qvodam fuisse texturam, qvod ut tunica esse tunicæ acceperit, fuerit adhibitum. Haud dissimilem ex verbis מעשה הארג eliciendum sensum arbitrati videntur alii. *Braunii* hæc sunt, *l. c. l. 1. cap. 16 §. 245. p. 276. Hac arte vestimenta Hebræorum sacra texta fuisse minime dubito, cum fuerint* מעשה ארג. *Fateor eqvidem nostra vestimenta, qvæ ordinaria texendi arte detexuntur, etiam dici posse* מעשה ארג *opus textoris; nam qvicqvid texitur textoris opus est. Sed Mosen hoc de textura intellexisse hoc modo: ut vestes integræ sacerdotales in tela absolverentur, minime dubito; cum postqvam satis clare præcepisset de lana & lino sive byssо ad conficiendas vestes sacras, addat eas fuisse* מעשה ארג. *Satis fuisset dixisse, eas fieri debere ex lana & byssо, cum ex byssо & lana, purpura scil. coccino & conchylio fieri non possint absqve textura.* Spencerus *l. c. l. 3. diss. 1. cap. 5. p. 57.* ita: *Sacerdotis tunica textilis erat, h. e. tota e byssо confecta, qvæ solam textoris artem, non acus operam, subiisset. Hoc e sacro textu manifestum, Exod. 39, 27. Et fecerunt tunicas byssinas,* מעשה ארג *opus texentis, Aharoni & filiis ejus. Cum enim præceptum esset, ut e byssо constarent sacerdotum tunicæ; non minus necesse erat ut illæ, qvam ut nostræ, textoris opere conficerentur: adeoqve voces illæ prorsus inutiles erant, nisi vestes textoris tantum, (non sutoris etiam) opera concinnatas notare censeantur.* De qvo texendi opere Veteribus usitato eo minus dubitandum, qvo certius constat, nostra illud ætate non penitus intercidisse. Fidem dictis præbendam postulant, qvæ in India hac arte confectæ, apud Belgas asservantur tunicæ, præter alias in ipso textas Belgio, de qvibus *Braunius l. c. l. 1. cap. 16. § 237. 244. 247. 248.* qvi & jugum textorium, qvo veteres in hujusmodi usos putaverit, construi curaviisse se scribit, ac multum laborando textorem etiam repperisse, qvi tunicam ipsi in eo integram contexuerit, §. 243. ubi simul Jugum ipsum, cum instrumentis, ac tunica in illo texta, adjectæ æri incisæ tabulæ eleganter delineant. *Braunio* jungi meretur curiosus antiqvitatis indagator, *Joh. Ciampinus*, qvi, præterqvam qvod operam *Braunii* laudat formam

hanc

hanc texendi Veterum, qvæ in antiqvo Virgilii codice Vaticano, mille & qvadringentorum fere annorum, conſpicitur, cum orbe erudito communicavit in de *Muſibis Sacrarum Profanarumqve ædium Structuris Part. 1. cap. 13*, additqve, etiamnum Romæ textores eſſe, qvi hujusmodi veſtimenta textura hac formaverint. *Antonius Bynæus* etiam, *Braunii* in his locata induſtria inſigni ornata encomio, ſibi puero induſium lineum textorii operis Trajecti ad Rhenum viſum commemorat, *De Morte Chriſti libr. 3. p. 339.* Pictam vero *a Braunio* tunicæ ſacerdotalis texendæ rationem, *de Eccleſ. & Scholarum Belgicarum ſtatu P. 2. cap. 4. 275.* inſeruit *Jo. Ludov. Benthem, Brauniumqve* una a plagii, in *de Veſt. Hebr. Tr.* ex *L' Empereur* chartis ex ſcripto commiſſi, vindicavit crimine. Qvodſi ſacras Novi Inſtrumenti tabulis conſignatas ſcrutemur Antiqvitates, ocurrit illic tunicæ ſola textura confectæ exemplum in tunica ἀῤῥάφῳ, qva unicus ille Novi fœdenis Sacerdos, qvi ſe ipſum pro univerſo humano genere hoſtiam Deo obtulit, indutus ſuo in his terris functas munere eſt, *Joh. 19. 23.* Qvæ enim de hac tunica vel ſolis manibus ſine acu, vel binis prælongis acubus formata, vel non ſine acu qvidem conſuta, ſed, qvod ſine fibulis extiterit, ita dicta, a qvibusdam allata ſunt, ab aliis reputantur merito. Vid. *Bynæus l. c.*, *Braunius l. c. p. 262. ſeq.* Notamus porro de ſacerdotalis hujus veſtimenti uſu hujusmodi, qvo corpori proxime adhæſit, qvæ legimus apud *R. Sal. Iſac. Bibl. Burt. fol. 96. 2.* מעיל הוא כמין חלוק וכן הכתנת אלא שהכתנת סמוך לבטרו ומעיל קרוי חלוק העליון *Pallium eſt inſtar induſii, & ſic tunica, niſi qvod tunica carni ſit proxima, pallium vero dicitur induſium ſuperius.* Altera ſacerdotibus induenda veſtis erant מכנסים *ſ. feminalia*, qvæ licet una veſtis eſſent, duali tamen efferuntur numero, לפי שיש לו שתי כנפות *qvod duæ ipſis eſſent alæ*, tradente *Ben Melech in Exod. f. 24. col. 4.* Deſcribuntur illa *a Maimon. l. c. §. 18.* המכנסים בין של כ"ג בין של כהן הדיוט הם ממתנים עד ירכים שהוא למעלה מן הטיבור קרוב מן הלב סוף הירך שהיא הארכובה ושנצים יש להם לא בית הנקב ולא בית הערוה אלא מוקפין כמין כיס *Feminalia, tam ſummi ſacerdotis qvam minoris, a lumbis pertingunt ad femina, ſcil. ſupra unbilicum prope a corde ad finem uſqve feminum, nimirum genua. Suntq; ipſis ligamenta, at neq; ani locus eſt, neqve pudendorum, ſed circumcinguntur inſtar loculi.* Pileus modo מצנפת modo מגבעת appellatur. Voces enim has diverſas eandem notare rem Hebræi ſunt Auctores. *R. Sal. Iſac. Bibl. Buxtorf. fol. 98. 2.* veſtes qvatuor minoris ſacerdotis enumerans, de מגבעות dicit, היא מצנפת qvod *idem ac* מצנפת *ſit.* Et *fol. 96. 2.* qvod מצנפת Exod. 28. 4. alio in loco vocetur מגבעות Hinc *R. Jom. Tobh cum* in *Tamidh cap. 5. §. 3.* animadvertiſſet, qvod *in Joma cap. 7. §. 5.* inter veſtes ſacerdotis minoris etiam מצנפת recenſeatur, ſcribit, hæc unum idemqve eſſe, ſed לשון תורה לחור ולשון חכמים לחור *peculiari dicendi ratione uti legem, peculiari item Sapientes.* Nam uterqve Pileus erat faſcia qvædam capiti circumvoluta, ejusdem longitudinis, juxta *Maimon. l. c. §. 15.* המצנפת של ה"ג או הדיוט ארכו ששה עשר אמות *Pilei ſacerdotis ſummi aut minoris longitudo erat ſedecim cubitorum.* Tantummodo aliqva in circumvolvenda hac capiti faſcia obſervabatur diverſitas, ut idem *Maim.* habet *l. c. §. 2.* מצנפת האמורה באהרון היא המגבעת האמורה בבנין אלא שכהן

שכהן גדול צונף בה כמו שלופף על השבר ובניו צונפין בה
ככובע ולפיכך נקראת מגבעת: *Mitznepheth, qbod dicitur desAbarone, idem est* ac מגבעות *qbod tribuitur filiis ejus, nisi qbod sacerdos summo pileum suum circumbolbebat, qbemadmodum fascia circumducitur fracturæ, filii autem ejus circumbolbunt pileum suum ad formam galeæ, idcirco dicitur ille* מגבעת. Qvibus conformia qvidem *Sheringhamius* loqvitur in *loma cap. 7. p. 88. sunt qbi contendunt* מצנפת *solius sacerdotis magni Tiarã esse: sed hoc contra autoritatem hujus mischnæ affirmant &c.* Qvod vero subjungit. *Tiara fascia erat lineã, qbæ multis contortã bolumnibus caput cinxit, & in occipitio redimiculo constricta fuit: in arcuatam galeæ formam flectebatur,* de minoribus sacerdotibus tantum intelligendum erit. Horum enim solum pileo galeæ figuram concedit *Maimonides.* Qvo pacto depressior fuit summi Pontificis pileus, sed latioü caput spatio circum ambiens; at minorum ille paulo elevatior, circa tempora autem contractior. Qvæ ipsa fundamento destitutam ostendunt *Reizii in Godbbin. l. cit. p. 35.* notam: *differunt tiaræ filiorum Aaronis a* מצנפת *cidari sibe mitra, pileo ipsig Aaronis; bocãtur enim alio nomine* מגבעות *infulæ, tiaræ, sibe rectius fasciæ, bittæ.* De redimiculo autem in occipitio fasciam constringente, *a Sheringhamio l. c. asserto,* idem videtur *Braunii* aliqvatenus ferre conjectura *l. c. l. 2. cap. 4. §. 399. p. 429. Si & mihi conjecturare liceat, ego dicerem, extremam, sibe ultimam partem fasciæ, ex qba tiara componebatnr, expandi solere, ut instar galeæ omnes plicaturas, spiras & commissuras inbolucrorum simul tegeret atqbe operiret. Si bërum sit tiaram talia redimicula habuisse, credibile est ea fuisse in extrema ista parte, qbæ caput, aut potius tiaram sic ultimo tegebat.* Certe ex *Josephi* auctoritate statuendum non erit cum *Fort. Scaccho Myr. III. Cap. 39. p. 463. & 464. bittæ circumbolutæ capiti super impositum fuisse belum & pileolum, bel, qbia ex græco textu, belum se non bidere* dicit, *pileolum aliud ex tela conflectum.* Neqve *pileolus* ut idem putat, *alius erat cæteris dignior & solius summi Pontificis.* Movet nos omnino in contrariam sententiam Scripturæ ac cæterorum Hebræorum non silentium tantum, sed & in definiendo vestium numero contradictio. Confer. ad *Josephi* verba vel non recte intellecta, vel ex ignorantia orta, vel ab aliis corrupta respondens *Braunius l. c. p. 428.* De Balteo supra audivimus, qvod is fuerit materiæ mixtæ ex lino & lana, & operis qvidem acupicti, ceu præcipitur *Exod. 29 93.* ואבנט תעשה מעשה רקם non vero ex solo lino, ut simpliciter lineus dicitur a *Godbbin. l. c. p. 35.* De ejusdem qvantitate *Maim. l. c. §. 15.* והאבנט רחבו כמו שלש אצבעות וארכו שנים ושלש ים אמה *Baltei latitudo erat trium fere digitorum, latitudo autem triginta duorum cubitorum.* Atqve hæ in universum vestes, ut ad induendum essent idoneæ, novæ debebant esse nitidæqve, non vero attritæ aut sordidæ, cæteroqvi ministerium in illis præstitum illegitimum erat. *Maimon. l. c. cap. 8. §. 4.* Ut nitori autem relinqverentur illæ convenienti, atqve easdem induituris paratæ semper essent, certæ erant arcæ, ex qvibus induendæ depromebantur, exutæ vero statim illo recondebantur. De his *Maim. l. c. §. 8.* ששה תשעים חלונות היו במקדש להניח בתן הבגדים ד' חלונות לכל משמר ושם כל משמר כתוב על חלונותיו וכולן סתומות כשיכנסו אנשי משמר לעבודה בשבת שלהן פותחין חלונותיהם כל ימי שבתן נוטלין הכלים וכשיצאו מחזירין הבגדים לחלונותיהם סותמן ולמה עשו ד' חלונות לכל משמר לפי שלא חצר

יהיו הכלים מעורבין אלא כל המכנסים בחלון אחד כתוב
עליו מכנסים וכן האבנטים בחלון אחד וכתוב עליהן אבנט
וכן המצנפות כלן בחלון אחד והכתנת כולן בחלון אחד *Nonaginta sex arcæ erant in sanctuario, ad reponenda illic vestimenta* (sacerdotum minorum). *Quatuor arcæ assignatæ erant unicuibis custodiæ, nomenque uniuscujusvis custodiæ inscriptum erat arcis illius, omnesque erant clausæ. Et quando intrabant viri custodiæ ad ministerium hebdomadæ sibi constitutæ, aperiebant arcas suas, per omnes illos dies suæ hebdomadæ, acceptis inde vestimentis; quando vero discedebant, suis restituebant vestimenta arcis, iis iterum occlusis. At quare quatuor arcas constituerant unicuibis custodiæ? propterea, ne vestimenta commiscerentur. Hinc omnia feminalia erant in arca una, cui inscriptum erat: Feminalia. Sic omnes baltei erant in arca una, cui inscriptum: Balteus. Eodem modo pilei in arca una, tunicæque in una.* conf. *Tamidh. cap. 5. cum Schol. R. Sal. Isac. fol. 66. 2.* Neque ordo in induendis illis negligendus erat, designatus a *R. Sal. Isac. l. c.* סדר לבישת הבגדים הוא שילבש תחלה המכנסים אמרי מנין שלא יהא דבר קודם למכנסים ת"ל ומכנסי בד ילבש על בשרו ואחר ילבש הכתונת חוגר באבנט ומשים המצנפת על ראשו *Ordo induendi vestes hic erat, ut indueret* (sacerdos) *primo feminalia. Quæritur unde hoc probetur, quod non debuerit quicquam ante feminalia induere? Resp. quod inde probetur, quia dicitur: & feminalia linea induet super carnem suam. Deinde induebat tunicam, cingebat se balteo, capitique imponebat pileum.* Add. *Maim. l. c. cap. 11. §. 3.* Cavendum simul, ne indutæ ministrantis staturam vel excederet, vel ab ea deficerent. Vid. *Maim. l. c. cap. 8. §. 4.* Pluribus quoque ejusdem generis vestib9 indutum ministrare, piaculum erat, morte quod luendum, *Maim. l. c. cap. 11. §. 5.* Ubi exuebantur rursus vestes, ultimo loco deponebant feminalia, quæ sola, cæteris jam exutis, retinebant, usque dum vulgares suas induissent iterum, tum vero & illa relinquebant. Vid. *R. Sal. l. c. Maim. Temidh. Umusaphim cap. 4. §. 2.* Pedum autem indumentis cum, nullo de his mandato extante, destituerentur sacerdotes, nudis semper omnes, ne summo quidem excepto, Templi solum calcabant pedibus. Conf. *Anton. Bynæus de Calceis Hebr. l. 2. cap. 3.* Plura vero de dictis vestibus, si quæ desiderantur, Vid. in sæpius cit. *Braunii Tract de Vest. Hebr.* Attigerum easdem *Sheringham. in Ioma cap. 7. pag. 86. seq. ed. 8. Lightfoot. de Minist. Templi cap. 4. p. 683. Op. T. 1. ed. Roter.* Peculiarem quoque de *Re Vestiaria Hebræorum* commentationem publico promisit *Martinus Mauritius in Præf. Tr. de Sorte.* Ejusdem argumenti *a se* edendi spem fecerat *Antonius Bynæus*, quam nup era Viri morte nobis dolemus ereptam.

L

Disputationem sortam de Hebdomadario Altari sufficitur vide post Disput. XXIII de Formulis Iuramentorum Judaicorum in hac Praf.

N. 59. vid supra post n. 32.

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id450462447/21
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id450462447/22
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG